



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

En Damvs Chronicon

Eusebius

Basileae, 1529

VD16 VD16 E 4266

Evsebii Pamphili Caesariensis Vita Ex Hieronymi Catalogo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98136](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98136)

EUSEBII PAMPHILI CAESARIENSIS VITA
EX HIERONYMI CATALOGO.

Eusebius Caesareæ Palaestinae Episcopus, in scripturis diuinis studiosissimus, & bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus peruestigator, et didit infinita uolumina, de quibus hæc sunt, ^{εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως} libri XX: ^{εὐαγγελικῆς παραφρασεως} libri XV: ^{εὐσεβείας} libri V: Ecclesiasticæ historiae libri X: Chronicorum Canonum omnimodam historiam, & eorum ^{ἱστοριῶν}: Et de Euangeliorum diaphonia: In Esaiam libri X: Et contra Porphyrium, qui eodē tempore scribebat in Sicilia, ut quidam putant, libri XXX, de quibus ad me XX tantum peruenerunt: ^{ἑπιπέμψ} librum unum: ^{ἀπολογίας} pro Origenelibri VI: De uita Pamphili libri III: De martyribus alia opuscula. Et in CL Psalmos eruditissimos commentarios: Et multa alia. Floruit maxime sub Cōstantino Imperatore & Constantio, & ob amicitiam Pamphili martyris ab eo cognomentum sortitus est.

HERMANNI CONTRACTI, VITA EX
IOANNE TRITEMIO,

Hermannus, qui dicebatur Cōtractus, monachus coenobij sancti Galli, filius Comitis de Veringen in Sueuia, uir in scripturis diuinis eruditissimus, & in secularibus literis uniuersaliter doctissimus, Philosophus, Poëta, Astronomus, Rhetor, Musicus nulli suo tēpore secūdis: trium linguarum graecæ, latinæ, & arabicæ peritissimus. Scripsit carmine & prosa multa præclara uolumina, de quibus ego subiecta reperi: de musica, monochordo, sex mūdi ætatibus, compositione astro labij &c. Claruit tempore Henrici Imperatoris II, Anno, M. XL.

OBTESTATIO D. HIERONYMI.

Adiuuro te quicumque hos descripseris libros, per Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosum eius aduentum, in quo ueniet iudicare uiuos & mortuos, ut conseras quod scripseris, & emendes ad exemplaria ea, de quibus scripseris diligenter. Et hoc adiurationis genus transcribas, & transferas in eum codicem quem descripseris.